21.

DISSERTATIO MEDICA
DE
MORBO HUNGARICO,

Quam
D. O. M. A.
EX ILLUSTRIS MEDICORUM IN ACADEMIA VIADRINA COLLEGII AUTORITATE
PRÆSIDE
RECTORE UNIVERSITATIS MAGNIFICO,
DN.
BERNHARDO ALBINO,
PHIL. ET MED. DOCT. P. P. O. SERENISS. ATQVE POTENTISS. ELECT. BRANDENB. CONSILIARIO ET ARCHIATRO, FACULT. MEDICÆ h. t. DECANO,
DN. PATRONO, PRÆCEPTORE & ſuorum ſtudiorum PROMOTORE omni pietatis & obſervantiæ cultu ætatem colendo,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI EXPONET
STEPHANUS PARSCHITIUS à Roſenberg/
Nob. Hung., Ph. & Med. C.
In Auditorio Majori horis locoq; conſvetis
Ad diem XV. Julii An. cIↃ IↃc XCIII.

Typis CHRISTOPHORI ANDREÆ ZEITLERI, JUNIORIS.

I. N. J.

THES. I.

AUxiliares Germanorum copiæ è Pannoniâ reduces dum paſſim graviter decumbunt,hoſpitesq; ſuos inficiunt,non ſine exiguâ provinciarum ſtrage Hungaricæ infectionis metus omnes tenet, epidemicus fit morbus, utq; fere fieri ſolet, variè denominatur, & dum vel ejus morem vel natales reſpiciunt ſua ſortitur nomina. *Febris Hungarica,Langvor Pannonicus,Lues Hungarica,Morbus Hungaricus,*vulgò dicitur,quod ex Hungariâ reduces, qui Turcarum acinaces,multarum cladium injuriarumve pericula ſalvi evaſère,inſigni vitæ periculo eo ægrotent, hæc ſuorum laborum præmia invitis & reluctantibus obtrudant,Pannoniæq; ſpolia diſtribuant. Nec hodiè nata eſt illa appellatio,ſed jam priori ſeculo Maximiliano II. Imperatore cum Turca belligerante confecto bello, exauctorato & hinc inde dilapſo milite perGermaniam,Burgundiam,Belgium,Italiam,Bohemiam,per ſeminaria diſtributum eſt hoc nomine contagium. Pari penitus ratione quo anno hujus ſeculi XXXV. regis Galliarum exercitu Lovanium obſidente, febris maligna &

peſtilens cum aliquot millia funerum Gallis extorqveret, Febris Gallica, vel Morbus Gallicus vulgariter appellabatur. *Isbr. de Diemerbroeck. Obſ. & curat. Med. 24.* Generalius Caſtrenſes dixeris, exemplo *Th. Williſii de Febr. c. 19.* vel militares cum *D. Sennerto Prax. l. 4. c. 14.* Ad morem qui reſpiciunt iis in genere *Maligna* vel *Peſtilens*, vel ab apparentiis *Puncticularis*, *Purpurea*, *Pulicaris*, *Lenticularis*, *Stigmatica*, quod maculis lenticulis aut pulicum puncturis ſimilibus ſe prodat; vel ſymptomatibus, *Cephalalgia epidemica*, *Febris ardens*; vel cauſa, *Theriodes*, *Vermis cerebri* appellatur. Si cum *D. J. Michaële*, quod ipſis Medicis ſint infeſtæ, *Febrim Antimedicam*, *Medicorum Napellum & Flagellum* appellare velis, per me licet. *Prax. clin. ſpecial. caſu 2.* Hungaris ſua vernacula Csömör dicitur; exprimente idem hoc Turcarum & Tartarorum *Majerdenchaſta*. Germanis verò die Ungariſche oder Haupt-Kranckheit / die Ungariſche Sucht / das Hirntoben / Fleckfieber / Hertzbreune. Hunc, Academiæ Viadrinæ valedicturus, elegi morbum quem ſpeciminis loco explicarem, ut breve ſchediaſma ſtudiorum meorum *Patronis* meis in Hungariam redux exhiberem, & Luis, quæ à Patria nomen habet, in Marchiacis Muſis naturam & Medicinam me didiciſſe conſtaret. Quod ſi rem acu tetigero eſt quod mihi gratuler: Sin minùs, me in his aliquid voluiſſe, ſat erit.

THES. II.

Symptomata Hungarici morbi multifaria ſunt, ita ut nullum eorum in febribus malignis obſervetur, quod in hoc non appareat: Ex more malignarum vultum in manu gerit, ſuamq; ſub diverſis larvis tragœdiam abſolvit. Benigniorem febrem miti calore mentitur ingreſſum, ſubito ac inexpectato vires proſternuntur, inqvietudines, anxietates, aliave ſymptomata ſunt majora & graviora, quam ut à febri provenire posſint. Calorem quandoque magnum, quando-

que

que mitem,quandoq; ad ſenſum ægrorum nullum ferè,antecedit horror levis,ſed frequens & inordinatus. Pulſus nonnunqvam ſanorum ſimilis, nonnunquam frequens, parvus & debilis, aliquando modis omnibus inæqualis, ſæpe ſæpiùs valde varius. Urinæ urinis ſanorum ſimiles,tenues,crudæ, vel ſine vel cum ſedimento, craſſæ, coloratæ, turbidæ, cum coloris & conſiſtentiæ varie ſedimento. Sitis caloris excedit modum, vel in magna febre nulla. Membra quaſi multo labore fatigata ictibusque contuſa ſentiuntur. Cardialgia, nauſea, vomitus,dolores capitis modo vagi, modo in partibus nonnullis fixi ſunt, ſudores vel multi vel parvi. Adſtringitur aut fœtide fluit alvus. Nares ſub morbi initium ſubinde copioſè ſangvinem ſtillant, nec ab hoc in ſequiori ſexu ſtillicidio uterus immunis eſt. Caput dolet,vertiginoſi ſunt,delirant,oculorum caligo,inſomniorum monſtra,aurium tinnitus,ſurditas,veternus, pervigilium, oris amarities,lingvæ ſiccitas & nigredo,glandularum tumores, extremorum frigus vel incendium ſuos in ægros exercēt furores. Coloris & magnitudinis variæ peticulæ, lenticulæ omnem occupant cutem. Dum deferbuit,aliquando alios luminibꝰ caſſos, auditu privatos,mente captos, memoria orbatos vitæ relinqvit.

THES. III.

Ea hominum natura eſt,ut alias res utilitate ſuâ metiantur,eas bonas vel malas,ex uſu vel damno quos inde percipiunt, dicant, & ſe normam faciant ad quam dignitatem, realitatem,omnesq; illarum qvalitates exigant. Obvia hujus exempla ſine numero ſunt, impræſentiarum in febribus id annotaſſe ſufficiat, quæ benignæ vel malignæ appellantur,quod hæ gravia ſymptomata cum manifeſto vitæ periculo, priores non item inducant. Periculorum gradus febres diſtingvit,ſi enim illa ſumma & generi humano exitia-

lia ſint,peſtis: ſi de truculentia ſua paulum remittant, nec adeò certo interimant, licet cum ſumma ægrorum ſtrage longe lateq; tyrannidem ſuam exerceant, febris peſtilens; ſi verò pernicies remisſior fuerit,licet ob ſymptomatum anomaliam ab aliarum febrium ingenio disſideăt,& ſupra putridarum noxam infeſtæ ſint, *Maligna* dicuntur: adeò ut inter peſtem, febrem peſtilentialem & malignam gradualis modo intercedat differentia,nec hæc à peſte niſi remisſiore gradu diſcriminetur. Has inter *Febris Hungarica* refertur,quæ cum nunquam in omnimodam ἀπυρεξίαν deſinat,licet ſubinde graviter exacerbetur,ſed ad finem usque perduret, Maligna & Continua eſt. Contagioſa etiam eſt contagio valdè efficaci, omnem ætatem ac ſexum invadit, ut quandoq; pene ad naturam peſtis accedat.

THES. IV.

Sangvinem in febribus affici proletarium eſt, hæmorrhagiæ, ſudores,urinæ,alvini fluxus, pulſus ejusq; V. S. eduđi varietas id ad ſenſus evincunt, & dum hæc,dum in febribus obſervata phænomena mixturam ejus turbari confirmant. Nempè cruor arteriis & venis contentus conſtanti non modo lege redit in orbem, ſed ſingula quæ ipſum conſtituunt corpuſcula interea temporis omnimode juxta ſe invicem moventur,ſe variis impellunt modis, in motu ſuo ſe juvant vel impediunt, motibus tamen ita distemperatis, ut non obſtante variâ determinatione amice conſpirent,& heterrhogeneum liqvorem uniformiter miſceant. Nec conſtaret ſangvini ſua mixtura, niſi vinculum intercederet quod corpuſculis non modo vigorem adderet, ſed ſuo interventu ſecesſionem præpediret; nulla namq; ratio eſt cur infinitæ varietatis corpuſcula,ad motum & quietem indifferentia in omnibus cruoris guttis eadem lege moveantur,habent ſingula figuram,magnitudinem,levitatem, gravitatem, ſoliditatem,

tatem, omnibusq; aliis corporibus proprias affectiones, sibi propria & peculiaria, vi qvorum subsiderent vel innatarent, quiescerent, vel moverentur, sexcentasq; mutationes subiret sangvis. Verùm illa corpuscula cum nec absolutè solida sint, nec ejusdem consistentiæ omnia, habebunt poros non minoris varietatis, vel in horas mutabiles, vel constanter singulares, pro qvorum repletione illos perpetim trajicit subtilissimus æther varietate sui motus illi pororum non cedens, quin potius varios celeritatis excessus illi superaddens, qui suo incursu quæ in fluido natant corpuscula, facile pellit & impellit & intestini motus autor & conservator est. Quoad enim illa in sanguine corpusculorum est varietas, cruor, pro viscerum varietate & vasorum anfractibus atque angustiis in obliquos cogitur motus, & recens illi affunditur chylus corpori humano familiaris, æther solito more fluit, particulas impellit, subtilioribus crassiores miscet, & propter rationum similitudinem sangvinem ubiq; sui similem facit, ejusque misturam conservat. Quamdiu illa legitima est, nulla glandulis vel tubulis infertur vis, nulla violentia ex iis aliquid exprimitur, secedentes humores illos non obruunt vel insoliti illos ingrediuntur, singuli cordis ictus sunt æquales, plus solito vasorum latera non premuntur & sexcenta alia incommoda procul sunt: statim verò atque illa turbatur febricitat homo, & sub pessimis symptomatibus fatiscit. Per omnia febrium genera hoc non ostendam, sed ex hac hypothesi *Hungarici Morbi* omnia phænomena deducam, quod si mechanicè fecero, non amplius hypothesis erit sed veritas, præprimis cum in hâc ita dicta hypothesi omnia naturæ principiis congruant.

THES. V.

Ut inde ordiar quod maxime in sensus incurrit, αὐτοψία constat varia sangvinis consistentia; observavit illum in omnibus

mnibus

mnibus præſertim malignis febribus ſolito fluidiorem *F. de le Boe Sylvius de Meth. med. l. 2. c. 26.* in venis arteriisve cordis merè fluidum *Ephem. N. C. dec. 2. A. 9. obſ. 218.* Nigerrimum & fœtidisſimum *Tom. Bonnettus Sepulch. l. 4. Sect. 1. obſ. 57. §. 22.* In magna ægrotantium multitudine nulli in principio ſangvis laudabilis extractus fuit; ſed ut plurimum albicans, ſæpe ex livido vireſcens, cui parum rubri ſangvinis admixtum fuit, in multis mucilaginoſus inſtar decocti pedum vituli, in aliis coagulatus fuit; in plurimis etiam vix id factum, fibris putredine magna ex parte conſumptis, teſte *Isbr. à Diemerbroeck. obſ. & curat. med. hiſtor. 24. 25. 26. &c.* Huc faciunt è diametro ſibi oppoſitæ *Sylvii* atq; *Willisii* ſententiæ, qvorum ille fluiditatem, hic ejus coagulum incuſant, præſertim cum ex venis maligne febricitantium ſangvinem adeo disſimilem florido & naturali, ut vix duodecima pars ſangvinem, eumq; craſſum fœculentumq, repræſentaret, valde tenacem & glutinoſum, ſero omni carentem, ita ut rotare vaſa & invertere, qvibus exceptus, licuerit, eductum eſſe recenſeat *Bonnet. Anat. Pract. l. 4. Sect. 1. obſ. 57. §. 11. in Schol.* Confirmat idem *Obſer. At. Kircheri*, dum peſtem per vermiculos licet tam tenues & ſubtiles, ut non niſi exqviſitisſimo microſcopio ſub viſum cadant, & ab aëris agitatione diffluant, propagari vult, *de Peſte Sect. 2. c. 4.* eosdemque è corporibus febre Hungarica demortuorum confeſtim prorepſiſſe animadverſum ſit. Quæ certè, aut ego vehementer fallor, ſangvinem à mixturâ priori recesſiſſe concludunt.

THES. VI.

Rebus non naturalibus Lues hæc ſæpe ſæpiùs in acceptis ferenda, vel enim per caſtra oberrat, vel Hungariam ingreſſos invadit, quia aër utrobiq; variis miaſmatis inqvinatus, non parum à craſi illorum recedit. Hungariam ſi ſpectes licet omnibus bonis affluat, nec exigui ſub terra auri argentiq;

gentiq; lateant thesauri, ejus tamen aër mineralium aliorumque succorum distemperatur effluviis, salium sulphurumque halitibus inqvinatur, ejus atmosphæra multiplicis configurationis, magnitudinis & motus corpusculis exagitatur, aliusque est ab eo qui aliarum regionum terris incumbit, adeoque non assvetis incongruus est, quorum corpora dum subit, fluidum aliter distemperatum offendit, mutuæ oriuntur luctæ non parvo intestini particularum motus damno, qui vel pervertitur, vel solvitur, prout pertinacior est mistura vel laxior illarum cohærentia. De castris idem non incongruè ostenderis, sqvalor non humatorum cadaverum, olidorumq; excrementorum fœtor ab aëre suscepta, illum à seipso alium faciunt, ut, qui antea humorum motum juvabat, modo eundem si non destruat, turbet tamen. Hæc ratio est cur castrensis sit morbus, & Hungaria vulgo *Germanorum Cœmiterium* vocetur. Cumq; aëris massa diversis anni temporibus aliam nanciscatur texturam, non semper eadem ratione sævit, sed pro modo recessus à sangvinis constitutione benignior vel malignior est. Immò minima sæpè mutatio multum exasperat vel mitigat effectus. Apud *Diemerbroeckium* videre est, duobus tribusve diebus ante & post novilunium ut & plenilunium pestem exacerbatam fuisse, eoque tempore plurimos corripuisse, & quos tunc invasit, omnes mortuos fuisse, idq; valde cito, ut multi antequam ægrotari viderentur, fuerint exstincti. *De Peste lib. 1, cap. 5.* Lunam decrescentem fatalem utplurimum ait *Paræus de Peste lib. 22, cap. 18.* Et ibidem notat pestem Parisiis non tam diram esse ut in Provincia & Aqvitania, quod aër Parisinus crassiòr & magis nebulosus sit, adeoque venenum pestilentiale non tam promptè admittat. Huc facit quod ex fide aliorum refert *Beverovicius*, Londini tempore atrocis pestis omnes tabaci officinas ab ea fuisse immunes *Thesaur. sanit. c. 20.*

Tantum nempè confert aëris temperies utq; ejus corpusculorum motꝰ motui humorum corporis humani inteſtino conſentiat. Nec æque aër incolis atque advenis infeſtus eſt, ſed qui illis familiaris,his peregrinus,qui illis ſalubris,his lethalis eſt,perinde atque in morbis evenit,quod morbilli docent,qvibus licet hi locorum ſubinde ſuccumbant,maxima tamen hominum pars illos ſuperat feliciter,in orientales verò inſulas à Batavis delati in inſula Moâ tertiam hominum partem interfecerunt. *E.N.C dec.1. A.10. obſ.194.§.21.* Optime certe notat Ingenioſisſimus *N. Pechlinus* malignitatem non duntaxat in aëre velut vehiculo ſed potisſimum in qualitate ejus atque textura conſiſtere, cujus ut eſt infinita varietas, ita certis adverſari temperamentis, eaq; conficere credibile judicat: ipſam etiam aëris tenuitatem atq; crasſitudinem ultra modum magnam, malignos feralesque creare morbos poſſe *Obſerv. Phyſico-Med.l 2. obſ.17.*

THES. VII.

Ut corpori ſuum conſtet robur & ſanitas quod perpetuo effluxu conſumitur reſtituit cibus & potus,qui ſuccesſivè in ſangvinem faceſſunt cumq; eo in ſimiles conſpirant motus. Diurni labores atq; artuum commotiones ſua concusſione fluidorum contextum ſtimulant & ſervant. Quicquid motui progresſivo adimit nocturna quies, id ſtragulorum calor reddit inteſtino, quo mutuo officio fluidorum contextui ſua conſtet integritas & firmitudo. Cum à ſolita receditur diæta peregrinæ aſſumptorum minutiæ non æquè facile in mutuos ruunt amplexus nec fluidorum obſequuntur motui,ſed vel ſuo lentore reſiſtunt, vel nimiâ activitate vehementius impellunt, vel peregrino æthere contextum turbant aliisve ſuis corporeis proprietatibus laxant, ſolvunt,coagulant, milleq; modis infeſta ſunt. Nimii labores cum vigiliis fluido & ſpirituoſo privant cruorem , ut

præter

præter craſſamentum reſtet nihil. Immodica quiete & largiore ſomno lenteſcunt iidem, ut in ſolidorum diverticulis hæreant, atque tandem à χύσει naturali recedant, ut olim ex latibulis expulſi, ob faciem quam induerunt peregrinam, ſangvinis texturam infeſtent aut ſolvant. Accedant ad inſvetum diætæ genus, laborum, quietis, ſomni vel vigiliarum exceſſus, dum in aëre minus familiari tegunt, peſſum ibit miſtura ſangvinis aut periclitabitur. In caſtris aut aliis climatibus generalis omnium creditorum concurſus eſt: aliis fame ſitiq; presſis, hi bacchanalia vivunt, inſolita ciborum genera latranti ſtomacho objiciuntur, aqua paluſtris vel vina à temperamento aliena potus ſunt, omnibus cœli injuriis exponuntur, humi jacent, madent, algent, æſtu aduruntur, unde quid aliud expectandum, quam ut ſangvinis miſtura turbetur, malo caſtris epidemico quo pasſim multi graviter decumbunt, non pauci occumbunt?

Thes. VIII.

Excreta & retenta ſi modum exceſſerint corpus apprimè diſponunt ad labem hanc promptius recipiendam, quod vel hoc nomine jam patitur quod naturales functiones ſuccumbant. Non enim alvinæ excretiones modum excedunt vel ſupprimuntur, mulieres catameniis diffluunt, vel ab iis ſuffocantur, hæmorrhoides immodice fluunt, quin ſolidæ fluidæq; corporis partes inde deterius habeant, hoſtique irruenti victas tendant manus. In peſte ſi quis veneri nimis ſtrenue litaſſet, id ſuo damno expertum eſſe, & plurimis ſponſis ſecunda tertiave poſt tædam nuptialem die funebrem tædam accenſam fuiſſe notat *Isb. Diemerbr. de Peſte l. 1. c. 5.* Quanquam hoc univerſale non ſit, nonnullorum enim robur tantum eſt, ut his non obſtantibus, veneno tamen reſiſtant.

THES. IX.

Quantum damni & noxæ corpori ab animi pasſionibus inferatur, ejus experientia teſtis eſt. Ipſa etiam ratio evincit, ab animi motibus ſangvinem humoresq; concuſſos, inque ſuis motibus vel præpeditos vel auctos multis modis corpori nocere debere. Mentis vertigo, dum pasſionibus transverſa agitur, iis labefactatis, dum corpora cauſaria reddit contagio exponit, illudq; admittit, qvod receptum ſemel cum ſangvini humoribusq; congruus motus, ſuaque non conſtent textura, difficillime ejicitur. Infinitæ pasſim hujus apud authores experientiæ proſtant, multaq; huc quæ faciunt eleganter & ingenioſè congesſit *Excell. Pechlinus Obſ. Phyſ. Med. l. 3.* Multorum loco ſit hoc: Non ita pridem hic loci civis cum in inſomniis quidam domeſticorum uxorem ſibi aufferre videretur, à verbis ad verbera ſed imaginaria progresſus, domoq; tandem cum ludibrio ejectus, adeò indigne hanc tulit injuriam ut expergefactus de nimia lasſitudine conqvereretur febriq; maligna intra paucos dies extingveretur.

THES. X.

Rerum non naturalium malus uſus cauſarium corpus facit, ut ſi ejus ſangvini humoribusq; admiſceantur corpuſcula, qvæ ſua figura, motu, qviete vel æthere, qvem per poros trajiciunt, ſangvini inſveto, ejus miſturam infeſtent, ille turbetur, fundatur, coaguletur, citius vel tardius, magis vel minus pro robore fermentationum & ſangvinis temperie. Admiſceantur ſangvini decumbentis effluvia illa virus erunt ſangviniq; ſuo analoga. Cum enim ægri cruor multa patiatur, mutuâ illâ lucta partes ſubactæ, mutatæ, ſolutæ, expulſæ atqve in libertatem actæ, vel vicinum aërem inficiunt, vel in laneis lineisq; hærent, adeoqve vel oppido vel ex longiori intervallo ſanorum corpora ſubeunt inque iis eandem fabulam ludunt, & infame *Contagii* nomen habent, qvod

licet

licet latè ſerpat & funera denſet, non omnes tamen æque corripit, vel interficit, ſangvis enim ſangvini ſimilis non eſt, hujus arctior eſt textura ejus laxior, non idem omni vitium eſt, hinc quamvis in illa affini ferè omnium conſtitutione plurimos occupet, non tamen omnes æque mulctat. Sed quemadmodum alii immunes tegunt, ita quos invadit pariter non ægrotant omnes, activitas enim contagii ſe reſpectivè modò habet ad maſſam quã inficit, ita ut quod huic venenũ eſt, id ab alio ſine noxa perferatur ac toleretur. Inde illi qvorum conſtitutioni familiare eſt illud miaſma minus ſæpe minusve periculoſe ægrotant, inde eſt quod Hungaria Germanorum dicatur cœmiterium, quod hominum cum brutorum contagio nihil habeat commune, quod integræ quandoq; familiæ, ob diætæ conſtitutionisq; ſimilitudinem, eodem tempore tyrannidi huic exitiali ſubjiciantur, & alia annotata paradoxa legantur. Laboret in Hungariæ climate Hungarus febri non adeò ſibi exitiali, eadem corripiat exterum maligna erit, nec efficacibus antifebrilibus auſcultabit, ſed vel difficulter vel nequaquam turbata miſtura reſtitui poterit. Nec putem ſolius contagii ſobolem eſſe, quin potius ab enarratis non naturalibus rebus labefactata fluidorum miſtura cum alicubi in parte ſolida hærens fermentum expellitur, id illam majori periculo turbabit quo longiꝰ à naturali ſtatu receſſit, quo pertinet *Celeb. Pechlini* obſervatio quod in Cymbria plurimum morbi epidemii naturam ſcorbutus variet, quia ſalſugo, quæ univerſum ſangvinem inquinat, ſanitatem non leviter corrumpat, aliunde conceptum miaſma morborum mirifice mutet, novamq; ideam accipiat *Obſerv. l. 2. obſ. 17.*

Thes. XI.

A poſteriori modo liquet quot variis modis peregrina corpora ſangvini affuſa illum lædant, ab aliis coagulatur va-

rio coaguli excessu, quod à spir. sulph. illud durissimi casei, à spir. vini illud molliusculæ gelatinæ, ab aliis alterius consistentiæ nanciscitur. Fundunt & dissolvunt illum alcalia, & plurima immediatè illi affusa, ut nec aqua simplex impune affundi possit, nocent. Nec à priori facile determinaveris miasmatum in sangvinem effectum vel gradum, adeoq, ex analogia concludendum est an alcalinæ, an acidæ, an verminosæ, an alterius sit naturæ. Cujus cujus tamen fuerint venenum erunt, dummodò liqvorum mistiones solvant, destruant, eorum motus pervertant & in vitæ periculum homines conjiciant. Hujus, naturæ miasmata sangvini mista cum eo colluctantur quoad viriũ intercedit paritas, sed post paucorum dierum lapsum alterutro succumbente vel mors vel vita triumphum agunt, illaq. non intermissa fluidorum concertatio febrem facit continuam. Quæ brevior vel longior prout veneni operatio potentior est. Cum tamen febris maligna illa passim audiat quæ non æque perniciosa est atq; pestilens, atque ab aliis per magis & minus differat, hinc ejus contagium fluidum quidem turbabit, sed ita ut illud nec subito & certo destruat, nec etiam sine periculo turbet, sed ea erit inter ætherem peregrinum & sangvini nostrò familiarem proportio, ut ferè sint in æquilibrio, quo ipso fit ut dum æqualis viribus agunt in se mutuo, benignam febrem sub initium mentiatur, & cum ad minimas sangvinis guttulas penetret & interiores mixturæ vinculis vim intentet, spiritum animalium magnam partem impediatur secretio, humoresq; per partium latifundia errantes hinc inde sistantur, unde inexpectata virium prostratio, inqvietudines & anxietates, solentq; nonnunqvam de nulla alia re quàm virium lapsu queri, quando nempe ad interiora & minima sanguinis pervenit mala mixtio, nec in aliis partibus fiunt obstructiones, inflammationes similiave. Quoad illa duraverit

rit lucta, aderit langvor, cumque in ea morbus consistat, hic non nisi victo morbo manus dabit.

THES. XII.

Horror levis sed freqvens & inordinatus á contagio humoribus affuso oritur; heterrhogeneum hoc est alterius texturæ in similes conspirare motus nescium, intestino corpusculorum motui dum aversatur alternatis vicib9 modo illum supprimit, modo supprimitur, vicissitudine corporibus in motu constitutis familiari. Suppresso & suffocato corpusculorum motu minus concutiuntur partium fibræ, unde frigoris sensus: eodem de novo emergente sibi resistentia secum movet corpora, in sibi familiares cogit motus, qvibus dum obseqvuntur abrepta durius fibras concutiunt, unde succedentis caloris sensus. Continuatur illa vicissitudo donec ad æqvilibrium pervenerint sine omni lege & ordine, á minimis n. circumstantiis omne dependet negotium donec tandem vel æquatis viribus agant in invicem & nullus insolitus motus, aut saltem naturali tantillo major cum nullo vel leni caloris sensu subseqvatur, vel vehementius confligant fibrarumque funiculos concutiant & magni caloris sensum excitent.

THES. XIII.

Omnimoda pulsus varietas diverso sangvinis statui, & ab eo contagii recessu adscribenda est. Quod si æqualiter sanguinem turbet, pulsus erit æqualis, sin verò singularum sangvinis guttularum vinculũ, vel quod hac inspiratione plus virulentiæ pulmones & sangvinem quam alia subeat, vel quod sangvis eo æqvaliter infectus non sit, vel alias ob causas æqvaliter turbatæ non sint, pulsus omnibus modis ratione freqventiæ, debilitatis, vehementiæ &c. inæqualis, immò pro vario miasmatis introitu valde varius erit. Freqventia volatilitatem & fluiditatem sangvinis arguit. Supprimàn-

primantur ſangvinis comotiones, pulſus erit debilis & parvus. Si ſalia utrobiq; fuerint activa, pulſus erit vehemens.

THES. XIV.

Pulſuum varietati illa urinarum reſpondet, prout enim ille turbatur, hæc vel illa in eo prædominatur intemperies valde varia erit. Secedant à ſe mutuo ſangvinis partes, crasſiuſculæ aqvearum fluentum ſecutæ, ſi per renum tranſeant poros, erunt urinæ craſſæ & turbidæ, ſi in iis hæreant eosq; obſtruant ſolis aqueis tranſitu conceſſo tenues apparebunt. Si nondum fecerint ſecesſionem ab invicem ſed laxius cohæreant, crudæ erunt, vel cum vel ſine ſedimento, pro laxitate enim cohæſionis aëris externi ambientis frigus facit ut pondere ſuo ſubſidant graviuſculæ, vel inter reliquas natare pergant. Nec de colore harum facile quid determinaveris, ille quippè ſoli particularum ſuperficiei ſua debet. Cum ſimilis ſanorum eſt in minimis modo turbatur ita ut in ſenſus non incurrat.

THES. XV.

Quando ſitis caloris excedit modum nonnullæ & crasſiuſculæ quidem propter laxatam cohærentiam in glandulis ſalivaribus ſubſiſtunt, obſtructiones faciunt & impediunt quo minus ſaliva fauces irriget, unde lingva ſicceſcit & nigreſcit. Quando verò in iisdem vaſis nulla fit obſtructio, nec à calore nimis diſcutitur humidum, tunc non obſtante intenſo calore ad fauces confluit ſaliva, ſitimqve extingvit. Eædem particulæ ventriculum illapſæ ejus poros obturant, conſtipant, unde *Cardialgia*, ſi fuerint craſſæ ſuo pondere; ſin iis admiſtæ acres, vellicatione ſua ventriculum convellunt, unde nauſea, vel ſi majori gradu, vomitus. Si ſubſiſtant in capite doloribus fixis vel vagis dolebit, prout obſtructiones pertinaciter reſiſtũt, vel modo ſolvuntur, vel redeunt: cum in glandulis illæ tumebunt: in ſubcutaneis glandulis vel impedient,

dient,quo minus ſerum per lymphatica redeat, ſed per illa ſudorum effluat, quo fit ut pro obſtructionum multitudine ſudoribus diffluat corpus vel non. Ad glandularum inteſtinalium catarrhactas per mille meſeraicorum rivos affluens ſangvis vel libere pergit ad venas, dum interea inteſtinorum humidum à calore corporis diſcutitur, vel excretoria vaſa obturantur & alvus adſtringitur: vel in iisdem glandulis offendit obſtructiones, & per patula excretoria vaſa omnis generis corpuſcula expellit,& alvus variis excrementis laxatur. Sin in aliis partibus ſub aliis larvis ſuam ludet tragœdiam.

THES. XVI.

Inteſtinis disſidiis dum ſangvis concutitur ex poris vaſorum ejectæ crasſiores partes in cerebri ventriculos,poros, ob crasſitiem ingredi neſciæ, à lineâ rectâ recedunt ſubangulo quoad fieri poteſt minimo,atque abeunt in orbem,tandemque in ſimiles motus omnes ſpiritus cogunt vertiginis & oculorum caliginis authores. Sine ordine etiam rerum impreſſa veſtigia recludendo,vel inſomniorum monſtra creant,vel majori vivacitate res dum menti ſiſtunt illius ſolam attentionem ſibi vendicant,neglectis poſthabitisque reliquis illa modo coñectit mens,congruant cum adſtantium judiciis aliisve circumſtantiis nec ne parum ſollicita,quo ipſo fit ut delirio morbus ſit infamis. Pulſent eædem aurium tympanum,tinnient illæ;vel ſiſtantur in auditoriis nervis ſurdaſter fiet æger. In cutis ſuperficiei poros adigantur ſalinæ,hinc inde multæ fient inflammatiunculæ totidem maculis in cute conſpicuæ, quarum magnitudinem, numerum , colorem non facilè determinaveris,qvæq; in diſſectorum hominum cadaveribus ſatis notabiles viſæ ſunt. Qvantitas ſolidis partibus impactarum ſæpe oppido magna, ut morbo debellato pertinaciter infixa maneant,& in organis oculorum, cæcita-

tem;auditus, ſurditatem; cerebri veſtigiis porisve fatuitatem rerumque oblivionem,ipſo morbo pejora mala, relinqvant. Impetum moti cruoris in cavitates hiantia vaſa non ſuſtinent omnia,ſed crepant illa,& cavitates ſangvinem ſtillant.

Thes. XVII.

Donec turbatur ſangvis nec mixtura ejus penitus ſolvitur ſpiritus gignuntur pauciores quam ut inflandis muſculis & vigorando corpore ſufficiant, inſigni laſſitudinis ſenſu qvidem ſed pervigilio moleſto, tot enim facile adſunt qui ſenſuum organa & cerebrum turgidula faciant, & impreſſos motus menti exhibeant: quamquam facile fiat, ut,dum craſſiores in cerebrum expelluntur,ejus viæ intercipiantur,quas dum pauciores ſpiritus recludere non valent veternoſus eſt æger. Eædem circumſtantiæ cum in extremis contingunt artubus, frigebunt illi,obſtructionum namque freqventia ſpirituum paucitati juncta, quo minus ſolidæ corporis fibræ ut ſolebant concutiantur, obſtant, cumq; ad partes illi, qui adſunt, ſpiritus determinantur,ut determinationis illius impetu obſtructiones recludantur,vim patiuntur fibræ non ſine doloris ſenſu, illi analogo qui ictibus contuſo corpore reliquus eſſe ſolet.

Thes. XVIII.

Hippocraticum effatum,prædictiones in morbis acutis incertas eſſe,hic affectus ſuo confirmat exemplo. Nihil certo prædici poteſt, omnia ſunt lubrica, cum peſſimis & quæ in alio morbo lethalia fuiſſent,ſymptomatibus multos evaſiſſe, cum ſalutaribus verò è medio ſublatos eſſe conſtans eſt Practicorum obſervatio. Famæ igitur ſuæ conſulturus Medicus,nec confidenter,nec timide nimis quid præſagiat, ſed dubio ſe muniat prognoſtico, donec naturam vel morbum ſuccumbere aut vincere viderit. Hoc tamen prædici

poterit ē censu acutarum hanc febrem esse, adeoq; ad decimum, vel quartum & decimum extendi posse diem, esse periculosam, subdolam & sæpe lethalem. Quo majora apparent symptomata, eo magis tristis metuendus exitus, quanto mitiora tanto spes erit melior, nec spei tamen nec metui nimis indulgeamus. Nec ex pulsu confidenter quid judicaveris, licet enim ille qui æqualis, bonus, qui inordinatus & inæqualis, malus vulgo dicatur, sunt tamen pulsus pulsibus sanorum similes admodū etiam periculosi. Pari modo quæ ab urinis ducitur prognosis aut nulla est, aut admodum fallax: malæ sunt crudæ, turbatæ, crassæ, tenues, etiam illæ quæ sanorum similes sunt, nec tamen obstat quo minus feliciter restituti fuerint ægri. Justa quidem spes est, si signa coctionis in urina appareant, laudabile enæorema habeant diebus aliquot continuis, evasurum ægrum, at sine his, urinā ab initio morbi ad ejus finem usque tenuem & pallidam, sine ullo enæoremate vel sedimento ægro perpetuo delirante oculisq; scintillantibus & rubris salutarem Dn. Præses vidit. Nigra tamen vel livescens certi exitus prænuncia est. Sudores frigidi non possunt non portendere malum, obstructionum enim copiæ & spirituum inopiæ indices sunt; sed nec adeo universale est quin exceptionem annotaverit *C. Rayerus Obs. Med. 95.* Motus convulsivi, contractiones & subsultus membrorum, tensiones in vola manus, &, dum medicus pulsum explorat, digitis occursantes contractiones, singultus, dentium stridor, perversiones labri, superciliorum, oculi, luctuosa suspiria damnata, periculosissima & tantum non funesta esse assolent: Sed nec hoc perpetuum, singultum in febre maligna perpetuum, & tantum ut abortum quoq; concitaret, servata ægra annotant *Eph. N. C. dec. 2. ann. 2. observ. 62.* Manus pedesque totos rigidos & inflexibiles ab intro contortos, ore & labiis nigerrimis dentibus atro phlegmate obductis cum veterno,

ægra nihilominus ſervata obſervatos fuiſſe ex *Eph.N.C. dec.2. an.9. obſerv.64.* conſtat. Cum ægri floccos carpunt, plicasq; lecti explicant & feſtucas captant, triſte præſagium eſt, & inſtantem mortem indicant, vel enim æger delirat, vel jam eo res pervenit ut oculorum humores turbentur. Sed etiam hic *Hippocratis Aphorismi*, prædictiones in acutis morbis incertas eſſe veritatem firmat *Eph. N. C. dec.2. an.1. obſ.95.* Ubi delira virgo floccos ſine loquela & ratione, non ſine convulſivis motibus legit ſed priſtinæ ſanitati reſtituta eſt. Surditas & obauditio in morborum acutorum principio periculoſisſima eſt, circa ſtatum verò apparens ſalutem portendit. Ratio eſt, quod ſi in initio morbi ſtatim occludantur nervorũ auditoriorum tubuli patuli, juſte metuitur in aliis partibus idem fore, & ſequenti tempore auctum iri, foreq; ut ſuccumbat æger: quod ſi idem in ſtatu fiat, ſignum eſt naturam ſuperare morbum, & ſangvinem ſeqveſtrata corpuſcula incipere expellere, adeoque ſpes eſt hoc continuato rem ſalvam fore. Sed nec hoc phænomenon adeo tutum eſt, cum vel *Hippocrate* teſte in febre acuta aures obſurdeſcere furioſum ſit, *in coacis* obauditionemq; prænunciam gravisſimi capitis affectus obſervaverit *C. Rayer. obſ. 19.* Oculorum inflammatio certis appropinquantis mortis prænunciis accenſetur, niſi hæmorrhagia narium ſubſequatur; illa enim index inflammationis meningum eſſe ſolet, eoque in caſu morbus magnus morbo magno ſuperadditus nil niſi malum portendit. Suas tamen & hanc regulam pati exceptiones Dn. Præſidis modo citata obſervatio evincit. Nec enim ſeqvitur oculi inflammantur, ergo neceſſario etiam meninges vel cerebrum debent inflammari, cum hæc particularis eſſe & intra ſuos terminos conſiſtere posſit. Cum intenſè rubent maculæ magis ſunt ſalutares, præſertim ſi pedetentim palleſcant & evaneſcant: Sin verò ex rubore liveſcant, plum-

bei

bei vel nigri coloris fiant,deterrimæ ſunt, per exigua nempe puncta gangræna vel ſphacelus occupat corpus ferè certo interitu. v. *P. Foreſt. obſ. 36. l. 6.* Mali ominis eſt ſi retrocedant nullo prægreſſo errore externo, diaphoreſin ſiſti,fermentationesq; ſangvinis atque humorum ſufflaminari colliges,ſin error præceſſerit,retropulſa ſalia interiora inflammabunt,in utroq; caſu ingens ſubeſt periculum.

THES. XIX.

Licet malum anceps & ſpes dubia ſit, non tamen deſpondendus animus eſt,ſed illi cordatus medicus obviam ibit,& inter generoſiora remedia ſtatim ſe offert V.S.dubium morbo remedium,certum tamen medici opprobrium,æquè enim ſive venam ſecet,ſive non,à vulgo culpatur. Si Sangvinem non miſerit,hæc omisſio ſubſecutæ mortis cauſa eſt. Sin miſerit ſangvinem,piaculum erit in illa virium imbecillitate detraxiſſe ſangvinem; quicquid egerit mortis reus erit. Nec medici deſunt qui ſuo asſenſu obtrectatoribus clam vel palam accedant, dum ex aliorum infortunio opimam ſibi promittunt praxin. Qualemcunq; enim opinionem ſuſtinuerint illam celeberrimorum Practicorum ſuffragio facile tuebuntur. Nec hic modo habebunt quod carpent,in ipſa etiam qvantitate,tempore & phebotomiæ reiteratione obtrectationis ſuæ reperient fundamenta. A phlebotomia inchoandam curam eſſe, & ſi maligna qualitas putredini prævaleat minori; ſin verò putredo magis quam venenata qualitas infeſta ſit majori copia detrahendum ſanguinem & quidem maturè, in morbi initio ante diem quartum eſſe contendit *L. Riverius Prax. l. 17. Sect. 3. c. 1.* eumq; oppido multi ſeqvuntur Practicorum. Nec illi quibus V.S. tutus febrilem materiam evacuandi modus eſt, in tempore conveniunt; illam diverſis febrium temporibus adhibitam, majoris aut minoris præſidii,immò etiam mali eſſe, ſed tu-

tisſimum V.S. tempus eſſe deceſſionem, reliqua vero tempora eſſe cum gravibus ſuſpicionibus conjuncta *L Pellinus de Sanguinis miſſion.prop. 10.* late deducit. V. S. penitus rejiciunt alii non paucioribus, graviſſimorum auctorum teſtimoniis fulti, aliis ſuſpecta eſt, quorum catalogum ſubnectere nolo. Hoc certum eſt febrem quatenus febrem V.S. non indicare, licet namq; ſanguis imminuatur, illa tamen imminutio per ſe mixturam non reſtituit: ſæpius quidem cor tranſit, ut credibile ſit, illam reſtitutum iri, ſed ipſa etiam imminutio cauſa eſſe poteſt, ut reſiduus ſanguis à contagio febrili ſubjugetur facilius, & quodnam horum in hac vel illa febre obtineat non niſi experientia conſtabit. Obſervationibus congruit, quod ex multiplici accuratiſſimarum obſervationum fide pro comperto refert *Th. Sydenham* febres continuas toto cœlo differre, ut qua methodo currente anno ægrotos liberaveris, eadem ipſa anno jam vertente forſitan è medio tolli. Obſervavit Dn. Præſes petechiales ante ſexennium hic loci epidemicas iteratis V. S. ceſſiſſe, ſanguinem verò ante biennium circiter in ſimilibus febribus nemini impune miſſum. Auro igitur æque carum mihi eſt *Sydenhamii* conſilium dum ſcribit: *In hac itaq; tam ſpiſſa rerum caligine, nihil mihi prius eſt, quam quando novæ febres graſſari incipiunt, cunctari pauliſper, & ad magna præſertim remedia non niſi ſuſpenſo pede ac tardius procedere, diligenter interim illarum ingenium atq; morem obſervare, quibus itidem præſidiorum generibus ægri juventur vel lædantur, ut quam primum his repudiatis, illis utamur. De morbis epidem. Sect. 1. c. 2.*

Thes. XX.

Præterea è fonte chirurgico veſicatoriorum uſus ſat freqvens eſt, utpote quæ auram venenoſam potenter revellere creduntur, adeo ut *L. Riverius* in maxima malignitate & ſæviſſimis ſymptomatibus urgentibus, unicum veſicato-

rium

rium non ſufficere, ſed in pluribus quandoq; quinque locis admovenda eſſe,& ſe cum felici ſucceſſu admoviſſe teſtetur *Prax. Med. l. 17. Sect. 3. c. 1.* & *W. Höferus*, ſe hac lue in ſtatu exiſtente,per triduum totali uſu rationis,ſine cibo,motu,loquela,deſtitutum,poſt cantharides nuchæ applicatas,rationi,loqvelæ & tandem priſtinæ ſanitati reſtitutum fuiſſe,ſcribit in *Hercul. Med. l. 6. cap. 2.* & Beat. J. J. Waldſchmidius in morbis malignis veſicatoriorum uſum ſe nunquam fefelliſſe *Eph. N. C. dec. 1. an. 2. obſ. 214.* affirmat. Quoties tamen naturam morbi & cantharidum confero nunquam mihi perſvadere posſum, *Sal acre & cauſticum*, quod interanea corporis inflammare, exulcerare & mictum cruentum ciere ſolet,ſanguini ſuam reſtituere mixturam poſſe, veroſimilius eſt illud ſangvinem legitime mixtum turbare,niſi certiori æquè certè ſaltem experimento atque oleum è ſcarabeis Lucanicis factum,quod vide ſis apud *W. Höferus Herc. Med. lib. 1. cap. 5.* Unde nullus miror, quod *A. Thonerus* ſcribat, ex relatione chirurgorum ſibi innotuiſſe, ægros plerosq; qvibus illa admota, defunctos, ſeq; ipſum complures noſſe qui cum ſuis veſicatoriis in tumbam ſepulchralem fuerint præcipitati *Obſ. Med. l. 1. obſ. 20.* & rationi omnino congruit acre cantharidum ſal cum inſigni corporis carnificina intenſisſimo dolore,ardore ſummo ac ſi pars igne torreretur, capitis incendio & tandem etiam ſupervenientibus convulſionibus epilepticis,in ipſa morte tandem deſæviiſſe. *Eph. N. C. dec. 2. an. 9. obſ. 131.*

Thes. XXI.

Miſſâ Chirurgiâ pharmacia offert purgantia, quæ vel alvum ſubducunt ore hauſta, vel ventriculum ſubvertunt, vel inferiori gutturi infunduntur. Hinc pariter in partes abeunt medici, aliis ad vomitoria tanquam ſacram anchoram confugientibus *Coberus Obſ. Caſtr. Ungar. decad. 2. obſ. 5.* a iis ex op-

ex oppoſito in hujus morbi principio à purgantibus medicamentis abſtinendum eſſe, & putridorum humorum illuviem in primis viis ſtagnantem clyſteribus freqventibus potius,quam purgante medicamento eſſe educendam,vixq; licere ad ſennam & rhabarbarum tranſcendere, aut ſaltem non niſi in exigua quantitate reliquis permiſcere,*L.Riverius Prax.Med.l. 17. Sect. 3. cap. 1.* Alii non in principio modo, ſed morbi progreſſu purgant, ut etiam integram rhabarbari drachmam cum cremore tartari exhibeant, *J. Diemerbroeck. Obſ. & Curat. Med. obſ. 24. 25. &c.* Nec purgantia, nec vomitoria,nec clyſmata morbo apta eſſe remedia primo intuitu liquet. In illa virium imbecillitate quis vomitu vel fortiori purgante illas dejicere auderet? quin potius certum eſt ab his turbari in ſua mixtura ſanguinem morbumq; diſſipatis viribus augeri, qvi cum ſua natura ſubdolus ſit, eo certius interimet ægrum. Impedit quidem,quæ primas vias occupat, ſaburra, vim medicamentorum, & nauſeæ, vomitus vel diarrheæ occaſio eſt, neque adeò inficior temeritatem quandoque feliciter ceſſiſſe, hæc tamen adeò me non movent,ut illa commendare auſim, quin potius dubium exhiberem medicamentum,quod ſubducendo alvum ſudores cieret,atque adeo febri obviaret,& primas vias onere levaret, quo fine pulverem Cornachini exhiberem. Clyſmatum uſus adeò periculoſus non eſt, cum in craſſioribus vel nullæ vel paucæ ſint lacteæ,per quas purgantes particulæ ad ſanguinem veniant, illæ craſſioribus excrementis implicentur,& ſtatim cum iis denuo eliminentur; à frequentiori tamen illorum uſu abſtinerem, nec niſi in caſu neceſſitatis,alvo nempè pertinaciore,iis uterer,ſæpe ſæpius enim factum, ut lethalibus diarrhæis, vel aliis ſymptomatibus anſam dederint. Quo collimare videtur *Sydenham*, quando ſcribit; enemata fractis morbi viribus & retuſa acie non diu & conti-

nuò

nuò repetenda esse, quod inde perturbetur corporis œconomia & symptomata febrilia etiam ultra solitam periodum ægros discrutient. *Oper. Sect. 5. c. 5.*

Thes. XXII.

Diaphoretica & Alexipharmaca omnem absolvunt paginam, sunt enim adeò temperamento nostri sangvinis attemperata, ut vel salibus enervatis & destructis succurrant, vel æthere suo illum nostri cruoris juvent, ut deperdita & labem passa mixtio restituatur & sarta tecta servetur. Sanguinis in sua mixtura turbati varius aspectus observatus est, dum nempe vel fluidior quam debebat, vel coagulatus fuit, hic acidæ, illæ alcalinæ, vel analogæ indolis miasmati debetur: ad tres proinde diaphoretica ordines commode reducuntur, ut alia nempe sanguini coagulato, alia dissoluto, utriq; alia opponantur. Dum dico diaphoretica omnem absolvere paginam, id nolo quasi ad sudores cogendus æger esset, cum illi quandoq; profluant uberrimi morbique hujus pars magna sint, nec cum illa ægri debilitate consistere possint: & quamquam *Sydenhamii Praxis*, quæ jubet ut æger quotidie lecto saltem ad horas aliquot abstineat, vel si id vetet major ejus debilitas, vestes saltem induat, & supra lectum cubet. *Opusc. Sect. 5. c. 2.* parum assensus apud medicos pariter & mulierculas inveniat, rationi tamen & experientiæ congruit. Ad experientiam multiplicem ipse provocat, & testatur Dn. Præses, quod omnes Galli, qui ante sexennium epidemicè grassantibus petechialibus febribus, licet media bruma nullis lectis, sed tenuibus operimentis & stragulis in vix calefactis hypocaustis gauderent, nullo vi morbi extincto evaserint, incolæ verò qui in plumis ad fornacem sepulti, qui vulgi mos est, decumbebant magnam partem mortui fuerint: Nec ratio destituit experientiam. Licet enim copia sudórum operationis diaphoreticorum index sit, tantum ta-

men abeſt ut proſint, quin potius nocent, cum una cum iis non modo ſeri, ſed etiam ſpirituum patiamur jacturam, adeoque minus idoneus reſiſtendo miaſmati contagioſo reddatur ſanguis, æquali damno ſive diſſolvatur ſive coaguletur, utrobique enim ejus jactura potu reſarciri debet, qui copia ſua non modo ventriculo gravis, ſed ad ſanguinem delatus, non æque cito cum eo in ſimiles conſpirat motus. Interim tamen perpetuo exhibeantur diaphoretica, illa ſanguini admixta eum totum facient medicamentoſum, donec tandem contagium expellant; obſervavit Dn. Præſes ægros; qui toto morbi decurſu penitus non ſudaverant, tandem in tam copioſos ſudores ſolutos fuiſſe, ut ſeminudi etiam integro triduo ſudoribus diffluxerint.

Thes. XXIII.

Cum ſanguis juſto fluidior ſit de acidis merito prædicatur in morbis his, quod de iisdē in peſte dixit, illa nempe non tantum deſiderari contra peſtis venenum, ſed id ipſum inprimis ab eodem impeti, ac impugnari *F. de le Boë Sylvius Prax. Medic. tract. 2. §. 498.* Qualia ſunt ſpiritus acidi, ſalis, ſulphuris, vitrioli, clyſſus antimonii, ſucci berberum, ribeſiorum, citri, granatorum, arantiorum, acetoſæ, acetoſellæ, omphacium, cremor tartari, acetum vini, aqua prophylactia *Sylvii*, aquæ theriacales *Bauderonii*, *Langii*, *Sennerti*, aceta Bezoardica varia, cumq; his parati Julepi, Tincturæ, ſimiliave, quæ pariter proderunt, cum verminoſa progenies ſanguinem turbat. In acidorum exhibitione tamen paulo timidior eſſem, quod manifeſta ſua acrimonia ſæpè noceant: Dn. Præſes non ſemel contigi teſtatur, ut febre maligna decumbentes, qui cæteroquin ſatis benè ſe habebant, ab aſſumpto in ſacrâ ſynaxi vino in vehementes convulſiones, quæ tamen uno alterove paroxyſmo terminatæ fuere, inciderint.

THES. XXIV.

Cum ſangvis coagulatur, ab acidis omnino abſtinendum, atque alcalia ſolatio erunt, omnia nempe ſalia volatilia, ſuccini, cornu cervi, viperarum, buſonum, cranii humani, caro viperina, buſonum leviter calcinatorum pulvis, ſpiritus C.C. liquor C.C. ſuccinatus, ſalia herbarum lixiva, fraxini, cardui benedicti, ſcordii, abſynthii ſimiliave.

THES. XXV.

In utroque caſu conveniunt alexipharmaca, bezoardica & ſolidioris conſiſtentiæ diaphoretica, ſcordium, dictamnus contrayerva, angelica, antimon. diaphoret. ejusq; cinnabaris, bezoardicum, minerale, ocul. cancr. margaritæ, unicornu fosſile, corallia, lapides pretioſi, atque ex his ſimilibusve varii compoſiti pulveres bezoardici, *Sennerti*, *Michaelis*, Rubeus Pannonicus, *Foreſti*, *Plateri*, *Unzeri*, ejusque indolis plures, quos omnes non facile recenſueris, ſed nec facile, cum videris, ignoraveris.

THES. XXVI.

Opiata nec effectu nec laude ſua deſtituentur, celebriores ſunt, electuarium de ovo *Maximiliani Imperatoris*, theriaca Germanorum, *Monavii*, *Andromachi*, Auguſtana communis, cœleſtis. Diaſcordium *Fracaſtorii*, *Sylvii*, *Gemmæ*, mithridatium *Damocratis*, antidotus *Matthioli*, laudanũ opiatũ, opii variæ tincturæ camphora, pulv. anodinus *Ludovici*, ſimiliave. Ex quibus, pro ratione indicationum variæ concinnari poſſunt formulæ, inter quas mixturæ Sylvianæ interpolatis unius horæ vicibus ſumendæ non infimas tenent, quibus continuo occurritur ingruenti malo. Prudentis enim hic medici eſt non modo commodis morbo medicamentis obviare, ſed juſta doſi & iterato dare, ut malo paria ſint, iisq; identidem addere refocillantia ut vires reſtaurentur, ne in ipſa lucta fatiſcant, confectionẽ nempe liberantis, alchermes, de hyacintho

ejusq; naturæ alia,quæ in temperatioribus aquis, borraginis, citri,ſcordii, fragorum, ceraſorum nigrorum exhiberi poſſunt. Sed nec facile determinatu eſt,quæ qualiave ſymptomata,ſubinde ſe manifeſtare poſſint,quibus judicioſus medicus pro re nata occurret, ea ſeligendo medicamenta, quæ morbo ſimul medeantur, non enim hoc relicto contra ea ſolum modo pugnare debet.

THES. XXVII.

In diæta omni induſtria vires conſerventur, cibis non obruatur, ſed qui dantur ſint euchymi & eupepti, juſcula carnium, avenacea, hordeacea vel ſimilia hauriat, cereviſia ſit tenuis,vel ejus loco C.C. crudi,ſcorzoneræ, hordeiq; cum citri corticibus decoctum, à vino abſtineat ſit copioſus Theæ vel Coffee potus: Nec ſomnus nec vigiliæ modum excedant ſi fieri poſſit. Animi pathemata violentiora procul ſint.

PEoniæ, PARSCHITI, artis CLARISSIME cultor,
Gaudeo quod mentis munera tanta probas.
Omnibus oſtendis dum ſcandis pulpita noſtra,
Quot Tua ſedulitas accumularit opes.
Gratulor his auſis: ſic pergas; Ecce parantur
Præclaris ſtudiis præmia digna Tuis.
Et quoniam in terras Te alieno ſole calentes,
Qui cœli flectit ſydera celſa, vocat.
Felicem Tibi diſceſſum precor. Omnia firmet
Idem. Sis noſtri ſemper (id oro) memor.

*Gente & mente Nobiliſſimo Domino Authori,
Auditori ſuo hactenus Chariſſimo his gratulari voluit & debuit,*

PRÆSES.

HUngarus *Hungarici* fontes & Pharmaca *Morbi*
Oſtendis, *patrium* visq; fugare *Malum*.
Hungariæ patriis, precor, ut recreëre vicisſim,
Gratus ceu Civis, ceu Medicusq;, *Bonis*.

Egregiis Nobil. Dn. PARSCHITII auſis applaudens f. f.

IRENÆUS VEHR, D.
Archiater Electoral. Brand. & Prof. Med. Ordinarius, Senior.

COnatus grator medicos, molimina docta
Laudo, Tibi quondam quæ bona certa ferent.

Pauciſſimis his prolixum erga Nobiliſſimum Dn. Diſputatorem affectum declarat

GOTHOFREDUS SAMUEL POLISIUS,
Med. D. Ejusq; P. P. Extraord.

MArtiſono caſu proſternitur Hungara tellus,
Morbiferos caſus Tu relevare cupis.

Martiſonos caſus multos LEOPOLDUS ab oris
Hungaricis felix miſit in exilium:
Tu quoque morbiferos ſatagis dum pellere caſus,
Virtutis medicæ ritè tropæa refers.
Pergito quo Te Fata vocant, Patriæ melior ſors
Te expectat, vigeas, cœptaque perficias.

Honoratiſſ. Dn. Reſp. cum voto proſperitatis uberioris l mq. p.

M. Gotthilff Treuer/
Archi-D. Frf.

HUnnica cur multis Tellus, fera caſtra ſecutis,
Eſſe queat σκληρόν, nec non lethale ſepulchrum.
Cultor Theſpiadum, devinctus amore Sororum
Aönidum, Medicis perbellè exercitus armis,
PARSCHITIUS, veterum commenta ſuperba Sophorum,
Hâc in re eludens, rationum pondere fultus
ἀκριβὸς ἐν μεγάλῳ, ὅσα δίκαια, ὅσα προσφιλῆ,
Aſſerit ingenuè: tenebris lucemq; miniſtrat.
Taygete dum primis terris os monſtrat honeſtum,
Dives apis, Caſiæ viridis, ſic gramine Thymbræ.
Non ſecus eſto gravis virtutumq; agmine laudis.
Nec dubita quin? Urbis honos, & gloria Gentis
Hunniacæ evades non ultima? digna laborum
Quandoquidem merces, & Pallas docta beare
Ingenuos, meritò te tollet ad æthera virtus.

Velitationi Medicæ, Nobiliſſimi & Doctiſſimi Juvenis Dn. Stephani Parſchitii, Patriotæ nec non Fratris optime meriti, & in perpetuum devenerandi, aggratulabundus deproperavit

JOHANNES RACZKEVI Nob. de MISKOLCZ
S. M. C.

Te

TE virtus, ſtudium, doctrinaq; nobilis ornat.
Te manet hinc laus, hinc Teq; manebit honos.

H. C. Schönhausen.

DAt *Galenus opes;* trita eſt ſententia vulgi,
In mundi ſolidum quod putat omne bonis,
Non ita PARSCHITI, cui *dat Galenus honores*,
Et ſolidâ æternum nomen ab arte parit.
Dantur opes; perduntur opes: at nobile nomen
Vivit; & extremos vivit ad usq; rogos.
Ergo Tuis cœptis quis non gratetur? & illis
Æternis dignos laudibus eſſe probet?
Vive, valeq; diu felix Podalyrius ægris,
Altius atq; Tuum creſcat in orbe decus.

Nob. Dn. Auct. & Reſp. obſervantiæ & honoris ergò Jonathano pectore Theſeaq; manu offer.

J .G. à BERGE, Med. Cult.

OCcultos natura ſinus Tibi grata recluſit
Artis, quam docta pandis, *Amice*, manu.
Adde decus decori, ſtimulos virtutibus adde
Sic Tuus ille labor præmia digna feret.

In amicitiæ teſſeram hæc paucula appoſuit

C. L. SCHARDIUS,
Berol. March. Med. Stud.

CErnimus agricolas, præſenti tempore lætos,
Pingvia ſudoris præmia ferre ſui.
Lætiùs ut Tua mens, PARSCHITI, digna labore
Præmia continuò non peritura capit.
Ergo Pæoniæ cultor fidisſime gentis,
PARSCHITI, *patriæ* gloria amanda *Tuæ*.
Accipe, quod Medici asſignant Tibi Nobile nomen,
Inter Apollineos creſce, vireſce, Viros.

Hunga-

Hungariæ inde decus surgat Tua Fama perennet,
Danubii & *Viadri* ripa celebret eam!

Succinctis quidem his, prolixi tamen affectus verbis Nobilissimo nec non Doctissimo Dn. PARSCHITIO, *Amico suo singulari gratulari animitus voluit, debuit*

GEORGIUS VALANDUS,
Francof. March. M. S.

QUando igitur de Te, PARSCHITI, singula multo
Dicuntur plausu, Carmina jure damus.
Et Te gaudemus tàm fausto sidere natum,
Unde Deûm unde hominum gratia amorq; fluunt.
Et quis non Medico felicia quæque precetur,
Quem dignum Phœbus judicat esse Daphne.
Tu quondam felix ægris vires reparabis,
Inde Tibi multas accumulabis opes.
Quippè bonum Medicum mendicum raro videbis,
Nam dare divitias semper Hygeia solet.
Nec satis hoc; sed eos æterno & nomine donat,
Dum facit illarum ne moriatur *Honos*.
Ergò age, non cessans incepto tramite perge,
Assidue Medicæ volve revolve libros.
Præstantemq; Tuum multa virtute Parentem,
Vincere si nequeas, par tamen esse stude.

Nob. Viro Juveni τυχῆ καὶ τεχνῆ ἰατρικῆ præstanti, D. PARSCHITIO, *Med. Cand. Amico intimo ac Sympatriotæ de se merebitiss. honoris & amoris ergo offerebat*

JOACHIMUS SCHMIDELIUS,
Illaviâ Hung. S.S. Th. & Ph. Stud.

Eundemq; abeuntem Francof. hoc pio prosequebatur voto:

Salvus abi, curam nostri circumfer, id opto:
Salvus ut offendas omnia salva, VALE.

(o)